



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Matthaei Tympii Aureum Specvlvm Principvm,  
Consiliariorvm Ivdicvm, Consvlvm, Senatorvm, Et Aliorvm  
Magistratvum Cvm Ecclesiasticorum tum Politicorum  
omnium**

**Tympe, Matthäus**

**Coloniae Agrippinae, 1617**

1 Abusus tollere & bene constituta renouare, nec non consuetudines  
salutares inducere.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-52641](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-52641)

uit mul- 637  
394  
190  
militem 616  
791  
355. &  
e. 626

SPECVLI MAGI-  
STRATVVM PARS PRIOR.  
CONTINENS CENTVM MAGI-  
STRATVS BONI SIGNA.

PRIMVM MAGISTRATVS BONI *Abusuum*  
*signum est, Abusus tollere, & consuetudines salu-* *correctio, &*  
*tares inducere, seu Restituere & renouare ea, qua* *benè consti-*  
*praeclare quidem prudenterq; in Rep. sunt constitu-* *tutorum*  
*ta, post verò in desuetudinem venerunt, & ne-* *renouatiq;*  
*glecta sunt: nec non emendare ac corrigere*  
*ea, quae cum damno atque dedecore*  
*in Remp. introducta*  
*sunt.*

m con- 119  
85. eius 455  
156  
54

**M**AGNUM & illustre Magistratus  
sibi comparare potest nomen, si  
& ab interitu ac contemptu vin-  
dicet quæ semel lata atque insti-  
tuta in Rep. prudenter atque vti-  
liter fuerunt, & maturè occur-  
rat, nec locum ijs in eadem concedat, quæ præter  
dedecus etiam damnum dare posse magnum vi-  
dentur.

p E. 1. Hoc nomine Cato ille Censorius clarus Rô-  
mana in Rep. extitit, de quo Plut. & Liu. lib. 3.  
& 4.

A

2. Con-

2. *Constantinus Magnus* Imp. supplicium crucis, à Romanis olim decretum maleficis, lege sustulit, teste Sozom. lib. 1. c. 8. Hinc S. Aug. in Matt. Ser. 18. & Ser. 2. in Parasc. ait: *Christus ipse, quia honoraturus erat fideles suos in fine huius sæculi, prius honorauit crucem in hoc sæculo, ut terrarum Principes credentes in eum prohiberent aliquem nocentium crucifigi.*

3. Quomodo *Theodosius* Imp. Romæ duas turpes consuetudines abrogarit, Socrates lib. 5. cap. 15. commemorat his verbis: *Vrbi Romæ plurimum apportauit commodi, partim dando, partim auferendo. Nam sicut multa magnificè & liberaliter in eam contulit; sic duo, quæ illi magno dedecori fuerunt, ademit, quorum alterum fuit huiusmodi. Erant Romæ ædes peramplæ & vastæ antiquitus constructæ, in quibus panis, qui suppeditabatur ciuitati, confectus fuit. His præfuerunt quos Romani patrio sermone mancipes appellant, qui tempore progrediente ædes illas furum latibula effecerunt. Nam quia pistrina ad ædes spectantia in profundo sita essent, & ad latera singularum ædium ædificatæ cauponæ, in quæ illis meretrices habitarent, complures idcirco, cum, qui cibi capiendi necessitate adducti, tum, qui obsecræ libidinis intemperantia inflammati eò veniebant, per insidias dispositi fuerunt. Nam machina quadam factum est, ut ex caupona in pistrinum præcipitarentur. His dolis delusi erant in primis peregrini, qui Romanam incolebant. Qui cum irretiti tenerentur coacti fuerunt in pistrinis molere, ac complures, non exire permitti, ibi vitam ad summam senectutem traduxerunt, suisq; attulerunt opinionem, quòd*

quòd mortem oppetiuerant. In hunc laqueum vnus ex Imp. Theodosij militibus fortè incurrit, qui cùm in pistrinum conclusus exeundi potestatem non haberet, districto, quem habebat, pugione, eos qui eum egredi prohibebant trucidauit, reliqui, rei gestæ metu perterriti militem dimiserunt.

Imperator igitur, re intellecta, mancipes *Demolita* grani supplicio affici, ædes, quæ latronum erant *municipale* perfugia, penitus disturbari iubet. Atque hoc v. *innocentiũ.* no dedecore Romam, ciuitatum omnium facile principem, ad istum modum liberauit. Alterum tale fuit: Si qua mulier in adulterio esset depre- *Quid Roma* hensa, eam, cùm deliquerat, supplicij genere, non *passæ sint* ad tollendum peccatum, sed ad augendum coer- *adultera.* cere solent Romani. Nam illam in angustum lupanar conclusam turpiter impudenterque scortari coegerunt; quippe effecerunt, vti eo tempore, quo obscœnum illud flagitium admitteret, pulsarentur tintinnabula, vt eos qui adessent in proximo facinus minimè lateret, imò verò ex tintinnabulorum sonitu illud turpe, & ignominiosum supplicij genus omnibus liquidò constaret. De qua flagitiosa consuetudine Imperator certior factus, eam omnino non ferendam putauit, sed sestra ( sic enim lupanaria illa nuncupabantur ) demoliri iubet, aliasque leges, quibus mulieres in adulterio deprehensæ coërcerentur sancit: Quapropter Roma Theodosij Imperatoris opera his duobus turpissimis impurissimisque flagitijs liberata est. Hæc Socr. vide. Niceph. libr. 22. cap. 11. Card. Baron. an. Chr. 389. addit in aliqui-

bus Italia locis hæctenus in more esse, vt viduarum ad vota secunda transeuntium matrimonia hoc tintinnabulorum sonitu derideantur. Nec solum has sordium cloacas Theodosius expurgauit, sed & alia turpia obscœnaque gentilitiæ superstitionis prorsus aboleuit. Semper etiam Romæ læx Iulia vigens ac vigilans extitit vindex aduersus adulteros.

4. *D. Ludouicus Francorum Rex*, quia decuriæ honoresque in ciuitatibus Galliæ largitionibus parari cœperant, istum morem graui edicto soluit, sibi primùm imperans, quod virtuti meritæ deberetur, fortunæ auroque nō dari; histriones & parasitos aula exegit. Aemil. li. 7.

5. *Casimirus Polonorum princeps*, quia Superiorum negligentia & coniuuentia inoleuerat praua & barbara cōsuetudo apud proceres & equites Polonia, vt iter facientes quotiescunque & vbiicumque collibitum esset agros ac prata agrarium ac oppidanorum depascere, ac non modo pabulum, sed etiam victum omnem ipsis imperarent, atque adeo effractis horreis atque cellis per vim auferrent, neque contenti quantum libuisset assumpsisse, reliquum etiam malitiosè profundeabant, dissipabant, & corruppebant, iumenta è pascuis & stabulis atque etiam iuncta curribus & aratris vtenda, vel potius ad cursum abutenda abducebant, eaque vel fatigata, vel enecta dimittebant, vel si fortè placuissent retinebant, & vsurpabant. Adhæc in possessiones & facultates morientium Episcoporum & cæterorum sacerdotum inuadebant, easque crudeliter diripiebant. Quin & præfecti Principis idem faciebant, & Principis horrea, prædia, fiscumque sacra-

*Consuetudo  
iniqua, iniu-  
sta, crude-  
lis impia,  
abrogatur.*

*Auget, non  
minui mala  
consuetudo  
reulans.*

cultatibus, quæ cultus diuini administris & egen-  
tibus dedicata erant, augebant. Ob hanc, inquit,  
causam Casimirus anno Christi 1480. sub Alex. 3.  
Comitijs apud Leuciciam habitis, legem tulit,  
qua barbari illi & Christiano populo indigni  
mores & abusus omnino sublatis sunt. Cromerus  
li. 6. de rebus Polonorum.

Vinam vbique abrogarentur abusus, maximè  
ij, à quibus sæpè malè audiunt Tribunalia, quæ  
tanquam prædonum & latronum multis in locis  
sunt conciliabula, vt plerumque satius esset inci-  
dere in viarū grassatores, quàm in forenses harpy-  
ias, quæ paulatim sugunt litigantium facultates *Plin. li. 7.*  
vique ad sanguinem, & ad extremam desperatio- *c. 32.*

nem sæpissimè producant, vt illis satius ac dul-  
cius sit mori quàm viuere, & rectè dixerit Chilo:  
*Comitem aris alieni ac litis esse miseriam,* & Co-  
lumella: *Nisi cupedij suffarcinatus & ferentia- cel. Rhod.*  
*ij: onustus libellis pergat, quibus dorophagos (do- li 28 antiq.*  
*nuoros) expleas, sordidosq, ac nūmarios, luditur o- lect. c. 9.*

pera. Hinc Plut. in libro nō esse foenerandū, forū  
appellat *ἀρετῶν χάραξ*, impiorum regionē,  
& M. Cato, in Orat. de diuidenda præda militi-  
bus, rectè ait: *Fures priuatorum furtorum in ner-  
uo atque in compedibus et atem agere, fures publi-  
cos in auro atque purpura,* teste Gellio li. 11. c. 18.  
Anacharsis etiam ab abusu multiplici forum vo-  
cat locum ad fallendum inuicem atque ad dandas  
auaritiæ manus destinatum. vjde Locū de pietate  
in Deum, & Petrum Greg. Tholos. de Rep. lib. 2.  
cap. 6.

De abrogandis iniustis litibus, validis mōdi-  
cantibus, hæreticorum libris & hæreticis, de  
blasphemijs etiam, luxu vestium, ebrietate, im-  
pudici-

pudicitijs, vsuris, alijsque vitijs ex Rep. Christiane extirpandis satis fusè egi in libello Germanico, quem Renouatum mundum nominavi.

## SIGNVM II.

*Adulatoria fuga.* ADVLTORES TANQVAM VIRTVTIS inimicos procul à se pellere, & à Rep. arcere; seu, mellit as ipsorum voces in sinum & mentem non recipere.

*Adulator specie est amicus, animo hostis.* **Q**uemadmodum fulmen ossa sæpè diffinit, illaesa cute: ita assentatio, Magistratum præcordia vulnerat sub specie amicitia. Habet enim dulcissimam vocem Sirenis, at voracissimum ventrem Charybdis; blanda est, & tamen aspera; dulcis, & tamen amara; candida, & tamen nigra. Quid multis? facie humana est, & ait, est bestia omni humano generi pestilens, similis venefico, imo impuro damoni, qui animos incantatos funestis epulis fouet, & sordibus noxijs inquinat.

*blasphemia.* Sic assentatio perditorum iuuenum Roboam Regem fecit tyrannum (3. Reg. 12.) Agrippa senior cum Cæsare in splendido amictu & sublimi sella ad populum verba faceret, ei ab adulatoribus tanquam Deo cuidam acclamatum est: quas voces cum ille libenter admisisset, sibi que de tali honore in animo blandiretur, repente ab angelo percussus, & putrescente carne ac visceribus morbo pediculari consumptus est. Act. 12. Ioseph. 19. antiq. Iud. c. 7.